

1682, 10

14

DISPUTATIO  
 DE  
**CONTRACTIBUS  
 CONSENSUALIBUS,**

*Quam*

PRÆSIDE

DN. PETROMÜLLERO,

U. J. D. & Prof. Ordin.

*Ad d. Augusti cl. lcc LXXXII.*

In Auditorio Jctorum

publicè ventilandam sistit

JACOBUS HARDWIG QUEST,  
 Gvelfherbytanus.

---

JENÆ, Charactere NISIANO.

93

ea  
fi  
u-  
ris  
ec  
ut-  
r.  
ed  
e-  
vi-  
ve-  
re  
lo-  
lla  
n-  
ci-  
te  
di-  
e-



*Nobilissimis, Amplissimis & Consultissimis*

VIRIS

DOMINO

GOTHOFREDO- WILHELMO

SACERN,

J. U. D. Cancellariæ Dicasteriique

Guelphici Advocato ordinario.

DOMINO

JOHANNI HARDWIGO

LAUTITZ,

SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI

DOMINI

RUDOLPHIAU-

GUSTI,


Ducis Brunsv. & Lüneb.

Quæstori optimè merito

*Dominis, Susceptoris atque Patronis suis summò obser-*

*vantia atque honoris cultu eternùm prosequendis*

Salutem atque felicitatem perpetuam!



**I**ngit quidem, quod ingenuè fateor inde vultum rubor, quod mea debitoris temeritas iis, quibus totâ substantiâ solvendo esse non possum, donum offerre præsumat; Ast! Vestrae humanitatis atque benevolentiae semper in me immeritum suaviter satis spirans aura, ruborem à facie paulatim discedere jubet, revocando mihi in memoriam, placidum creditorem vel solum  
ani-

animum ac voluntatem ad sol-  
vendum parati creditoris appro-  
bare, oblatumque donum, si non  
ut donum, tamen ut partem  
crediti acceptare solere. Opta-  
rem certè, ut debitum hocce cui  
mea audacia titulum munuscu-  
li attribuere audeat, esset plenius  
atque splendidius; Verum cum  
sciam Vestras Amplitudines  
Nobilissimas (consideratò sci-  
licet eò, quod primi cujuslibet  
arboris conatus fructibus ab  
antiquiore stemmate prolatis  
longè sint tenuiores) etiam pri-  
mitias humillimarum arborum  
sub

sub spe uberiorum proventuum  
non despiciere, hoc fortissimò te-  
nuitatis meæ præsidio nixus,  
certissimè futurum spero, ut mei  
conatus, Vestrae humanitatis  
atque benevolentiae favente au-  
rà sufflati, ad justam tandem  
venire maturitatem, plenioresq̃  
fructus decerpēdos imposteriorum  
porrigere queant.

Aspicite interim quod voto-  
rum summa est, manusculum  
hocce exile, maximi debiti pi-  
gnus, maximæque obligationis  
quâ me Vobis obstrictum scio  
chirographum, oblatum ab eo  
cui

cui Jenæ præter chartaceum  
nihil restat fronte serenâ atque  
porrectâ, neque in album eorum  
qui Vestro favore fruuntur sus-  
cipite. Ego interim Voveo, ut  
Vestras Amplitudines Nobi-  
lissimas fortuna comitetur  
indivulsa pedissequa, sit cana  
senectus, successus anticipet Vo-  
ta. Quo calamum pono, Vestro  
Favori me totum commen-  
dans, qui Vivo moriorque

*Vestrarum Amplitudinum  
Nobilissimarum*

Dabam Jenæ d. 8. Augusti  
Anno 1682.

sincerus cultor  
Jacobus Hardwig Quest.




( o )

# DISPUTATIO

## De Contractibus Consensualibus. [a]

### THESIS I.

 *Quarta* contractuum species sunt *Contractus Consensualis*; non quod aliis contractibus consensus desit, sed quod solus consensus hic totum faciat, [b] nullo vel Rei, vel Verborum vel Scripturæ interventu requisito *tit. Inst. d. oblig. ex consens. l. 2. §. 1. ff. d. obl. & act.* Quorum sunt quinque, ut (1) *Emtio & venditio* (2) *Locatio Conductio* (3) *Emphyteusis*, (4) *Societas* & (5) *Mandatum*.

Th. II. *Primus* Contractus consensualis est *Emtio Venditio*, quæ est contractus nominatus, bonæ fidei, in quo per consensum res emtori pro certo pretio dando tradenda est *§. 1. Inst. h. t.*

Th. III. *Dividitur* in *scriptam*, quæ scriptis fit, & tunc celebrata [c] esse censetur, quando instrumentum super ea conscriptum ex omni parte completum est, & *non scriptam*, quæ sine scripturâ, & eo ipso, quo inter emtorem & venditorem de re ac pretio tradendo conventum est, contracta censetur.

Th. IV. *Causa efficiens remota* est jus gentium. *Propinqua* contrahentium consensus *§. 2. Inst. d. j. N. G. & C. l. 17. C. d. fid. instr.*

Th. V. *Subiectum* sunt personæ contrahentes; Ineunt autem hunc contractû, qui nō prohibentur vel à Naturâ; uti *Infans §. 9. Inst. d. inut. stip. Furiosus l. 2. §. 6. pro emt. Prodigus l. 6. d. V. O.* vel à *Lege*, ut pater & filius, nisi in rebus castrensibus *l. 2. h. t.* Minores 25 annis curatores habentes *l. 3. C. d. integr. restit. Tutor & pupil-*

[a] *De Emtione Venditione* scripsit. Gabr. Mudæus. Didacus Millan. de Quinones. Thomas Maulius. *De Locatione Conductione* Vic. Caroccus. Petrus Barbosa. Aurel. d. Vergeriis. *De Emphyteusi* Franc. Fulgineus. Franc. Pinheiro. Joh. Coler. Christoph. Blumbacher. *De Societate* Frider. Albert. Maulius. Gabr. Mudæus. *De Mandato* Henr. Canisius. *De Mandato Speciali* Petrus Schulz [b] Propter eminentiam de hisce cōtractibus dicitur eos consentu fieri. [c] Si enim scriptura nondum est absoluta, ibi poenitentia locus est.

pupillus l. 34. §. fin. b. t. Medicus & Ægrotus tempore morbi  
l. 3. ff. d. extraord. cognit. Advocatus & Cliens durante lite l. 6.  
§. 2. C. d. postul.

TH. VI. *Objectum à parte venditoris* sunt res tam corporales quàm incorporales ut & alienæ, [d] tam extantes quàm futuræ, modò in hominum sint commercio, nec specialiter à lege prohibitæ. Rerum commercium non est, quæ usibus hominum eorundemque dominio subjici, in obligationem deduci, alienari acquirive non possunt l. 39. in fin. ff. d. legat. 1. exque sunt vel res sanctæ, religiosæ, publicæ, liber homo &c. l. 6. l. 34. §. 2. l. 70. ff. b. t. [e] Lege prohibentur vendi (1) frumentum exercitui missum l. fin. C. quæ res vend. non poss. (2) Res minorum l. 3. C. d. præd. & al. reb. min. (3) res furtivæ l. 4. §. 3. ff. b. t. (4) res litigiosæ l. fin. C. d. litig. (5) res dotales l. 4. ff. d. fund. dot. (6) purpura l. 1. C. quæ res ven. non poss. (7) res feudales sine consensu domini c. 22. & 55. feud. (8) res restitutioni subjectæ l. 2. C. d. eunuch. (10) arma Reip. hostibus l. ult. C. qu. res export. n. d. (11) Venena l. 35. §. 2. ff. b. t. Sanct. Crimin. Carol. V. 37. §. ult. A parte emtoris est pretium l. 36. 72. ff. b. t. quod consistere debet in pecunia numerata §. 2. Inst. b. t. debet esse certum l. 35. §. 1. ff. eod. & justum reique emtæ æquivalens.

TH. VII. *Forma* consistit in consensu super merce & pretio l. 3. ff. b. t. Consensus autem debet esse in præsens. Nam nuda promissio de emtione ineunda contractus non est arg. l. 1. d. pact. Berlich. dec. 142. & seqq. Solent quandoq; pacta emtioni venditioni adjici, uti sunt I. Addictio in diem facta vid. tit. ff. d. in diem add. II. Lex commissoria t. t. ff. d. leg. commiss. III. Pactum de retrovendendo l. 2. C. d. pact. int. empt.

#### TH. VIII.

[d] Sufficit enim venditorem evictionis nomine obligari l. 11. §. 2. ff. d. act. emt. nisi emtor sciverit, tunc actio de evictione non datur, cum scienti nulla fiat injuria. [e] Si tamen inter ignorantes venditio facta sit, valet quidem emtio, vel solo etiam emtore ignorante l. 4. l. 34. §. 2. & l. 70. ff. d. contr. emt. non respectu rei sacre vel similium, quæ in hunc contractum deducta sunt, sed respectu obligationis. *Nota*: Venditum intelligitur & illud, quicquid rei venditæ tempore contractus coheret aut inhaeret, uti sunt (1) Commoda, vid. l. 40. §. 5. l. 47. & seqq. l. 78. ff. b. t. (2) Onera, quæ itidem emtorem sequuntur. l. 2. C. sine cens. vel reliq.

TH. VIII. *Effectus primus est mutua obligatio.* Venditoris obligatio consistit in eo, ut rem venditam tradat & quicquid rei venditæ cohæret *l. 13. l. 16. C. d. act. emt.* & rem incorruptam, sanam *t. t. d. edil. edict.* ab oneribus liberam *l. 1. §. 1. l. 39. l. 41. ff. d. act. emt.* & cum iis qualitatibus, quas de ea affirmavit venditor, præstet necesse est *l. 6. l. 13. §. 3. ff. d. act. emt.* [f] Emtoris obligatio est, ut pretium solvat, & quidem nummos venditoris facere cogitur *l. 11. §. 2. d. act. emt.* & quamvis ante traditionem & solutionem pretii emtor non fiat dominus, tamen ejus periculum ad eum pertinet. *§. 3. Inst. h. t. ff. d. peric. & comm.* Ex primo ortus est *actio*, quæ datur emtori, dicitur *emti*, ad consequendum id quod venditor ex natura contractus vel pacti adjecti tenetur; & vice versa *actio venditi*, quæ venditori datur; Quarum utraq; directa est vid. Schyvendend. *d. actionib. cap. 3. memb. 12. sect. 2.* Datur etiam *actio redhibitoria* vid. *tit. d. edil. dict. ibique DD.* *actio æstimatoria*, & *quanti minoris* *l. 37. ff. d. ad. ed.* quandoque *actio ex stipul. itu*, si conventum sit de interesse præstando Franz. *ad tit. d. evict.*

TH. IX. *Contraria sunt Dolus, Error, Vis Metus, Læsiõ ultra dimidium justii pretii* vid. *l. 2. C. d. resc. vendit.*

TH. X. *Secundus C.* est *Locatio Conductio*, quæ est contractus nominatus mutux præstationis, quo id agitur ut pro usu rei [g] & operæ pecunia [h] detur [i] Donell. *13. comm. 6.*

TH. XI. *Dividitur* in eam, quæ est *Rei*, v. gr. fundi, ubi jus percipiendi fructus transfertur, & quæ est *facti*. Hæc verò bimebris est, respicit enim vel *opem* vel *opus*. Suthold. *diff. 15. th. 35.* *Opera* est ipsa *actio*, industria, labor, studium, conatus, quo utimur in opere faciendo *l. 38. ff. locat. græcè dicitur ἐργον l. 5. §. 1. d. V. S.*

A 2

Opus

[f] *Nota*: Venditor post perfectam venditionem, etiam re nondum tradita, præstat tantum illa damna, quæ dolo, latâ vel levi culpâ accidunt *l. 13. §. 16. ff. d. act. emt.* At si emtor moram committit, latam culpam duntaxat præstat venditor *l. 17. §. 5. d. peric. & comm. rei vend.* [g] Quo ipso aperte discernitur locatum ab emto. Nam in emtione & venditione id agitur, ut dominium transferatur; Hic tantum usus. [h] Quæ vulgariter *merces* nuncupatur *pr. & 1. Inst. l. 2. l. 25. ff. h. t.* [i] *Conventio de mercede certâ fieri debet illicò §. 1. Inst. h. t.* Nam si initio contractus nulla citò merces definia- tur, ut si conveniatur, postea tantum datum iri, quantum inter contrahentes placuerit, non erit locatio vel conductio, nec oritur *actio locati* vel *conducti*, sed est contractus innominatus, ex quo nascitur *actio præscriptis verbis*, seu in

Opus est operarum effectum, quod fabricando & operando relinquitur *l. 30. §. qui adem ff. b. t.*

TH. XII. *Causa efficiens* R. est jus gentium §. 2. *Inst. d. l. N. G. & C.* Proxima est consensus & quidem solus *l. 14. ff. b. t.* non solum *expressus*, sed etiam *tacitus l. 13. §. fin. ff. l. 16. C. b. t.* [k]

TH. XIII. *Subiectum* sunt *Locans* rem, *usum scilicet eius præstans cum usum ejus rei conducente*; Vel *locans* operas suas (principaliter) seu *conducens* opus (consequenter) cum *conducente* operas (principaliter) seu *locante* opus (consequenter) sibi faciendum. [l] Possunt autem *locare* *conducere* quibus competit facultas *consentiendi*, liberamq; bonorum administrationem habent, nisi specialiter prohibeantur, ut sunt I. *Milites*, qui alienas res *conducere* nequeunt *l. 31. l. fin. C. b. t.* nisi *conducerent* sui usus *militaris gratia gl. in d. l. 31.* II. *Curiales l. 30. C. eod.* III. *Clerici Nov. 123. c. 6. l. 41. C. d. episc. & cl.* IV. *Tutores & Curatores*, antequam rationes reddant, prohibentur *conducere prædia patrimonialia Cæsaris l. 49. pr. ff. b. t. l. un. C. ne tut. vel cur. veēt. cond.*

TH. XIV. *Objectum* sunt omnia illa, quæ *vendi* possunt, res *mobiles & immobiles*, *corporales & incorporales*, [m] *propria*, *alienæ*, [n] & *communes*, *operæ* etiam, ut tamen sint *honestæ & locari solitæ.*

TH. XV. *Forma* consistit in *consensu* super illo usu & certa mer-

---

*factum l. 10. §. 1. & l. 22. ff. d. præf. verb.* [k] Nam si uterque *contrahentium* post *completum* tempus *tacuerit*, *reconduxisse* videtur; quod ita *accipiendum*, ut in ipso anno quo *tacuerunt* *contrahentes* eandem *locationem* *renovasse* putentur. *Attendum* tamen est *discrimen* inter *prædia rustica & urbana.* Vid. *Menoch. lib. 3. præsumt. 85. Carpzov. p. 2. c. 37. d. 9.* [l] Hinc facile patet, quod *locator* rei sit is, qui pro certa *mercede* rei *usum* *concedit* ac *præstat.* *Conductor* verò, cui ille *usus*, pro certa *mercede* *conceditur.* [m] Sic *usufructus* potest *locari l. 12. §. 2. d. usufr.* finito tamen *jure usufructuarii* *principali*, finitur etiam *jus* ab *usufructuario* alteri *concessum*, neque *propriarius* ulterius stare cogitur *locationi l. 8. §. 1. d. per. & comm. rei vend.* simili *ratione* *locantur operæ & servitia rusticorum Föhndienst Joh. Stamm. d. servit. personal. lib. 3.* Excipitur *usus*, cum sit *servitus* *omnium personalissima l. 1. & seqq. d. us. & habit.* *Servitutes* verò *reales* per se *locari* non possunt, nisi cum *fundo*, cui *inhærent l. 44. ff. b. t.* [n] Ad *alienas* res *spectat.* (1) *Pignus*, quod *locari* potest *l. 35. §. 1. b. t.* modò *consentiat dominus*, aliàs enim *furtum* *Creditor* *committit*, rem *alienam* *contrectans l. 54. ff. d. furt.* (2) *Feudum, text. 2. F. 9. §. donare* (3) *Patronatus*, quatenus in se *continet universitatem* *bono-*

mercede l. 1. ff. b. t. [o] Temporis adjectio essentiam contractus non mutat, l. 3. mandat. ut potius locatio in longissimum tempus naturam regularem locationis retineat, nec unquam utile dominium transferat per text. in l. 39. b. t.

TH. XVI. *Finis* est, ut rerum usus sine alterius partis incommodo inter homines communicetur.

TH. XVII. *Effectus* primus est *obligatio*, ex qua duplex oritur actio, *Locati & Conducti*; *Illam* competit locatori; *Hanc* conductori, qua uterque jus habet persequendi id, quod sibi debetur.

TH. XVIII. *Contraria* sunt eadem quæ emtionis venditionis, nisi quod tempore locationis completo finiatur.

TH. XIX. *Tertius Contr. Conf.* est *Emphyteusis*, quæ est contractus nominatus, juris civilis, quo dominus prædium suum in perpetuum vel ad tempus emphyteutæ utendum fruendum, concedit, ea lege, ut id melius cultiusque reddat, & in recognitionem domini certam annuam præster pensionem.

TH. XX. *Dividitur* in *Civilem*, quæ in profanis & *Ecclesiasticam*, quæ in ecclesiasticis rebus consistit. *Utraque* est vel *definita*, cui certus terminus præstitutus est, vel *indefinita* quæ fit sine ulla temporis præfinitione.

TH. XXI. *Causa efficiens* remota est jus civile, vid. §. 3. *Inst. d. locat. cond.* Propinqua est consensus utriusque & quidem solus.

TH. XXII. *Subiectum* sunt *Dominus* concedens, & *Emphyteuta* accipiens.

TH. XXIII. *Objectum* sunt agri vel prædia l. 1. *§ rubr. ff. si ager vestig. §. 3. Inst. d. loc. cond.* & in rebus solum soli s. immobilibus, non in mobilibus vel incorporalibus consistit. Res autem cum omni damno particulari [p] & commodo [q] transit ad emphyteutam, d. §. 3. l. 1. ibique *Coras. C. d. jur. emphyt.*

A 3

TH. XXIV.

rum arg. l. 1. pr. d. aut. & conf. tut. (4) Majoratus s. bona avita, Berlich. p. 2. concl. 45. n. 20. Rem verò suam nemo potest conducere l. 9. §. fin. b. t. modo non alius habeat possessionem l. 37. d. pign. act. [o] Quo tempore merces fit solvenda? Vid. Colleg. Nostr. ad 1st. ff. d. R. J. ad l. 34. [p] Deficientibus pactis emphyteuticis de naturâ hujus contractus est, ut totius rei interitus ad dominum seu concedentem, particulare verò damnum ad emphyteutam seu possessorem pertineat §. adeo *Inst. d. locat. cond.* [q] Q. *Utrum thesaurus in fundo emphyteutico inventus ad emphyteutam, an verò ad dominum proprie-*

TH. XXIV. *Forma*, quam ex natura sua emphyteusis habet, est, quod conferens habeat *dominium directum*, & accipiat *canonem*; accipiens *dominium utile in re emphyteuticaria*, ac *canonem* solvat. Ex pactis & conventionibus aliam atque aliam formam induere potest.

TH. XXV. *Finis* est respectu domini, ut agri inculti ac steriles per culturam meliorentur; à parte emphyteutæ, ut is prædium emphyteuticum possideat eoque utatur, fruatur & ad suos posteros transferat.

TH. XXVI. *Effectus* est obligatio mutua & exinde nata actio *emphyteuticaria* de qua in *tit. ff. si ag. vectig.*

TH. XXVII. *Contraria* sunt ob quæ jus constitutum amittitur, (1) Si constituens ad tempus fuerit dominus *arg. l. 31. d. pign.* (2) Si res insigniter sit deteriorata *Nov. 120.* (3) Canon non solvatur spatio triennii in emphyteusi civili, biennii in ecclesiastica *l. 2. C. d. jur. emphyt.* Si alienatio facta sit irrequisito domino *l. ult. d. jur. emphyt.* (5) si rei emphyteuticariæ forma sit mutata *l. 5. §. fin. quib. mod. usufr. fin.* (6) Si ad tempus vel ad certam generationem emphyteusis constituta *Clarus §. emphyteusis qu. 28. num. 2.*

TH. XXVIII. *Quartus C. C. est Societas*, quæ est contractus consensu honestè initus, quò fortunæ & operæ ad uberiores quæstum, & commodiorem usum communicantur.

TH. XXIX. *Dividitur in Generalem s. Universalem* (quæ interdum *totorum bonorum l. 65. pr. interdum omnium bonorum l. 52. §. fin. l. 65. §. 3. interdum universarum fortunarum* societas appellatur *l. 73. ff. pro socio.*) quando universa bona in societatem deducuntur *l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. ff. eod. & Specialem s. Particularem* quæ est negotiationis sive operis alicujus vel certæ rei *l. 5. pr. ff. pro soc.*

TH. XXXI. *Subiectum* est uterque socius tacitè vel expressè societatem contrahens; & possunt omnes contrahere, nisi prohibeantur; videantur supra dicta d. convention. in genere.

TH. XXXII. *Objectum* sunt res & operæ hominum com-

mer-  
tatis pertineat? vid. Bocer. in tr. d. regal. cap. 3. n. 181. Q. Num emphyteuta, qui canonem se soluturum jure jurando promisit, jure suo cadat, si uno dumtaxat anno in solutione cessaverit? Neg. quia juramentum sequitur naturam contractus Hillig. in Donell. enucl. lib. 9. c. 15. in not. lit. F. Q. An Dominus emphyteutam ob non solutum canonem propria auctoritate expellere queat? Neg. arg. l. 31. §. 1. ff. d. pignor. l. 3. C. eod.

mercio non exemptæ l. 63. §. fin. ff. pro socio. honestæ & licitæ l. 57. ff. eod.

TH. XXXIII. *Forma* consistit in communicatione rerum  
lucris causa. Prout verò aliquis in societatem multum vel parum  
contulit, ita plus lucris vel damni aufert & sentit.

TH. XXXIV. *Finis* est quæstus uberior & commodior. l. 7.  
l. 8. l. 29. & l. 67. ff. pro soc.

TH. XXXV. *Effectus* primus est, *obligatio*, qua socii sibi  
invicem obligantur. Societatis quippe contractu perfecto rerum  
inter se comunio introducit arg. l. 1. §. 14. ff. d. tut. & rat. distr. [r]  
& omne lucrum & damnum periculumve ex causa societatis po-  
manans jure fraternitatis est communicandum l. 24. pro soc. Effe-  
ctus ortus est *actio pro socio*, quæ utrinque est *directa*.

TH. XXXVI. *Contraria* sunt modi, quibus dissolvitur, & est  
I. Mutuus dissensus l. 65. §. 3. ff. pro socio qui est vel *expressus* vel  
*tacitus*. II. Renunciatio §. 4. Inst. b. t. III. Mors, non enim ad  
heredes porrigitur §. 5. Inst. eod. IV. Publicatio s. Confiscatio  
l. 4. l. 65. §. fin. ff. eod. V. Cessio bonorum decoctionis causa fa-  
cta §. 8. Inst. b. t. VI. Rei in societatem collatæ interemptio l. 58. pr.  
b. t. VII. Finis negotio, cujus gratia contractum, impositus §. 6.  
Inst. b. t.

TH. XXXVII. *Quintus C. C.* est *Mandatum*, quod est con-  
tractus inter mandantem & mandatarium initus consensu ad ali-  
quid expediendum.

TH. XXXVIII. *Dividitur* I. in *Expressum* quod fit per consen-  
sum verbis expressis declaratum; & *Tacitum*, quod fit per con-  
sensum scientia & patientia tacite declaratum l. 6. §. 2. ff. mandat.  
II. aliud est quod *unius* tantum, aliud quod *plurium* gratia con-  
trahitur. pr. Inst. b. t. III. Est vel *generale*, quo universa negotia  
gerenda committuntur indefinite l. 12. d. pact. vel *speciale*, quo  
certa quædam negotia cum præscriptâ formâ dantur expedienda  
d. l. 12. IV. est vel *judiciale*, quo lites in judicio exercenda de-  
man-

[r] Quod participationem lucris & damni inter socios attinet, vide elegans  
Jcti responsum in l. 29. ff. pro socio. Si convenit, ut unus solus damnum sentiat,  
alter solus lucrum adipiscatur, ista societas, quia iniquissima est, diciturque Le-  
onina, non valet.

mandantur l. 1. §. 1. d. procur. vel Extrajudiciale, quo negotia ex-  
tra judicii strepitum expedienda committuntur l. 34. ff. h. t. V. est  
vel *purum* quod simpliciter absque ulla temporis & conditionis  
adjectione contrahitur, Mozz. d. divis. mand. n. 91. vel *non purum*,  
quod tempus & conditionem recipit l. 1. §. 3. ff. mandat.

TH. XXXIX. *Causa efficiens* remota est jus gentium §. 2.  
Inst. d. I. N. G. & C. quod civile approbavit. t. t. ff. Inst. & C. h. t. Pro-  
xima est mutuus mandantis & mandatarii consensus l. 1. ff. h. t.

TH. XL. *Subiectum* sunt personæ mandantes & mandatum  
suscipientes.

TH. XLI. *Objectum* sunt negotia sive facta, eaque mandari  
non prohibita. Mandari non possunt (1) facta præterita l. 12. §. 6.  
ff. mandat. (2) Mandatum de re propriâ vel à seipso vel ab alio  
emendâ non consistit l. 22. §. 3. h. t.

TH. LXII. *Forma* consistit in eo, ut negotia gratis gerenda  
alicui committantur, & ab altero suscipiantur.

TH. LXIII. *Finis* est, ut negotia nostra, quibus ipsi superesse  
vel nolumus vel non possumus vicaria fide amicorum expedian-  
tur atque ita commune commodum mutuis officiis gubernetur  
l. 1. §. 2. ff. d. procur.

TH. XLIV. *Effectus* est obligatio, quæ respicit vel *mandan-  
tem*, qui obstringitur mandatario suo sumtus necessarios ad nego-  
tium commissum exequendum subministrare l. 12. §. ult. ff. h. t.  
utiliter & necessariò in negotio mandato factos restituere l. 12. §. 9.  
h. t. atque eundem in omnibus indemnem servare l. 61. §. 5. d.  
furt. vel *mandatarium*, cujus obligatio consistit in negotii susce-  
pti expeditione l. 2. §. 11. l. 27. §. 1. mandat. [t] & rationum redditio-  
ne Althus. Dicaol. lib. 1. c. 3. n. 18.

TH. XLV. *Contraria* sunt modi quibus mandatum solvitur,  
& sunt I. Voluntas contraria tum mandantis, tum mandatarii §. 4.  
Inst. quib. mod. toll. obl. II. Mors §. 10. Inst. h. t. Sunt tamen ca-  
sus, quibus nec ipsum mandatum vel morte superveniente, extin-  
guitur, quos vide apud Mozz. tit. quem. solv. mand. Colleg. Ar-  
gentor. lib. 7. tit. 1. tb. 21.

[t] In negotii suscepti expeditione adhibenda est bona fides l. 10. mandat.  
diligentia l. 5. l. 41. eod. & ea quidem omnis l. 23. l. 21. ff. eod. hanc quippe polliceri  
videntur, qui res alienas tractando suscipiunt. Forma quoque mandati præ-  
scripta, & finis integrè est observandus l. 5. in pr. h. t. l. 12. C. eod.



## COROLLARIA.

### I.

**S**i minor vel pupillus Jenæ esset, & haberet bona quædam immobilia Erfurti, eaque vendere vellet, non solum decretum judicis Jenensis, sed etiam Erfurtensis, ubi res sitæ sunt, necessarium esse videtur *arg. l. 30. §. 1. d. excusat.* quia uterque iudex habet jurisdictionem, alter in personam ratione domicilii, alter ratione rei sitæ in suo territorio; Ergo ab utroque potest & debet interponi decretum.

### II.

Res ab aliquo ex mea pecunia emta mea non est *l. 6. C. d. rei vindic.* adeo non possum agere ad rem emtam, sed ad pecuniam *Tusch. tom. 3. concl. pract. 1. lit. E.* quod usque adeo verum est, ut nec res, quæ ex dotali pecunia à marito comparata est, dotalis sit, adeoque non uxori, sed marito acquiratur *l. 12. C. d. jur. dot.* Nisi uxoris non suo nomine rem comparasset *l. 54. d. jur. dot.* aut nisi maritus non esset solvendo, quo casu datur mulieri utilis rei vindicatio, ne dotem admittat *l. 55. in fin. d. don. int. vir. & ux.*

### III.

Epistolam, in quâ rogatur ut negotium alienum gerat, accipiens, nec contradicens, non statim mandatum suscepisse censetur, *arg. l. 8. §. 1. d. procur.* quia multa accidere possunt, quæ impediunt, quò minus quis ad epistolam illam respondere possit; nisi fortassis potuerit statim contradicere, nec contradixerit *arg. c. 43. X. d. R. J. in 6.*

Vene:

Veneranda virtus nescit in tenebrarum  
Latitare vanitate, sed petit lucem,  
Se gnaviter si qui sequantur: Hæc quod Te  
Producat in lucem, cathedra testatur,  
Ubi ventilari dignus ingenI foetus  
Videtur hic tibi. Silentii posthanc  
Virtutis obscurabit haud tuæ lucem  
Nebula, fluentium inde fructuum compos  
Si mens tua ardet esse, copiâ fluent magnâ.

*De progressu studiorum,  
grat. ex animo*

PRÆSES.

Dum specimen doctum doctè defendere gestis,  
Sudorem & studium non sine laude probas.  
Apprecor ex animo: feliciter omnia cedant,  
Det specimen fructus, lætitiâque Tibi!

*Nobili Dno Respondenti, Fautori & Amico  
suo honoratissimo, scribeb.*

Johannes Georgius Simon,  
J. U. D.



(2125.754)

Juca, Diss., 1682


ULB Halle  
004 216 27X


3



WMA







1682, 10  
H  
14

DISPUTATIO  
DE  
**CONTRACTIBUS  
CONSENSUALIBUS,**

*Quam*

PRÆSIDE

**DN. PETROMÜLLERO,**

U. J. D. & Prof. Ordin.

*Ad d. Augusti clō lōc LXXXII,*

In Auditorio Jctorum

publicè ventilandam sistit

**JACOBUS HARDWIG QUEST,**  
Gvelfherbytanus.

—  
**JENÆ, Characterē NISIANO.**

53

53

